

Der nachstehende Text ist in angemessenes Deutsch zu übersetzen:

Auch Kaiser Augustus wartete sehnsüchtig auf den Ruhestand ...

Divus Augustus, cui di plura quam ulli praestiterunt, non desiit quietem sibi precari et vacationem a re publica petere. Omnis eius sermo ad hoc semper revolutus est, ut speraret otium. Hoc labores suos, etiamsi falso, dulci tamen oblectabat solacio: aliquando se victurum sibi. In quadam ad senatum missa epistula, cum requiem suam non vacuum fore dignitatis nec a priore gloria
5 discrepantem pollicitus esset, haec verba inveni:

„Sed ista fieri speciosius quam promitti possunt. Me tamen cupido temporis optatissimi mihi provexit, ut quoniam rerum laetitia moratur adhuc, praeciperem aliquid voluptatis ex verborum dulcedine.“

10 Tanta visa est res otium, ut illam, quia usu non poterat, cogitatione praesumeret. Qui omnia videbat ex se uno pendencia, qui hominibus gentibusque fortunam dabat, illum diem laetissimus cogitabat, quo magnitudinem suam exueret. Expertus erat, quantum illa bona per omnes terras fulgentia sudoris exprimerent, quantum occultarum sollicitudinum tegerent: Cum civibus primum,
15 deinde cum collegis, novissime cum adfinibus coactus armis decernere mari terraque sanguinem fudit: per Macedoniam, Aegyptum, Syriam Asiamque et omnes prope oras bello circumactus Romana caede lassos exercitus ad externa bella convertit. Dum Alpes pacat inmixtosque mediae paci et imperio hostes perdomat, dum ultra Rhenum et Euphraten terminos movet, in ipsa urbe Lepidi,
20 Egnatii et aliorum in eum mucrones acuebantur, filia et tot nobiles iuvenes iam infractam aetatem territabant. Itaque otium optabat. In huius spe et cogitatione labores eius residebant.

Supervacuum est commemorare plures, qui, cum aliis felicissimi viderentur, ipsi in se verum testimonium dixerunt perosi omnem actum annorum suorum.

25 Sed his querelis nec alios mutaverunt nec se ipsos.

**Bei der Fertigung der Reinschrift der Übersetzung
für Korrekturzwecke bitte jede zweite Zeile freilassen!**